ÆTIOLOGIA
Philoſophico-Medica Curioſa
FACULTATIS PURGATRICIS
Qua
Oſtenditur contra Willisium & Willisianos in Reſinoſis particulis non eſſe collocandam Catharſin.

AUTORE
JOHANNE LUDOVICO HANNEMANNO, M.D.
Philoſophiæ Naturalis Profeſſore Publico Ordinario
Cæſareæ Leopoldinæ Societatis
COLLEGA.

Symbol. Pſalm. XXI.

Eripe me, O Deus meus, de manu impii, de vola perverſi & violenti. Quoniam tu es à quo pendeo, Domine Deus, tu es es quo à puero niter. Sis mihi vice robuſtiſſima rupis, ad quam jugiter confugiam, conſtituiſti ut me ſervares, nam petra mea & arx mea Tu es!

HAMBURGI,
Typis ARNOLDI LICHTENSTEINII,
M. DC. LXXVII.

VIRIS

Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis Dominis,

DOMINIS

CONSULIBUS, SENATORIBUS, SECRETARIO,

DN. DEPUTATIS VEL OCTOVIRIS URBIS FRIDRICHSTADII IN EIDERSTADIA,

Fautoribus, Amicis, Affini, Dominis Honoratissimis hoc opusculum inscribit Autor

J. L. Hannemann, M. D. P. P.

DEDICATIO.

VRbs Vestra est, Nobilissimi Domini, quam Tonninga relicta, postquam in Holsatiam appulerim, (*in qua mihi Deus sedem per Clementiam Serenissimi Ducis Holsatiæ &c. Domini nostri Clementissimi paravit, qui mihi ante biennium, & quod nunc excurrit, provinciam in sua Alma Christian-Albertina hic kilia demandavit, illustrique Professorum Collegio associavit, D. T. O. M. Faxit hujus Nostri principis Clementissimi Regimen crescat, vigeat, floreat in exoptatissima pace, & hic noster Pater patriæ omni di-*

vina

vina benedictione, omnigenaque prosperitate corpus & mentem beante circumfluat, neque prius cœlum repetat, quam ut seri nepotes Regimini præesse valeant, sicque hæc serenissima domus atavis edita regibus in celsissimis surculis cum diebus cœli pereanet, floreat!) primum ingressus fui ante novem annos, & quod superest, ibi benigne me excepistis, & jus hospitii concessistis, tum etiam in urbe vestra biennium ferè constiti, ac meæ praxeos Medicæ (*Deo annuente!*) Exordium feci, denique & mihi in vestra urbe vitæ sociam ex antiquissima de *Calais* familia elegi, quæ stirps olim in Hispania ex generosissima prosapia originem duxit, hinc in Bataviam transmigrans, exque ea prodierunt arte & Marte Incliti strenuique viri, quorum & nonnulli in Senatum præpotentissimorum ordinum Hollandiæ promoti, & vestræ urbi tres Senatores Dn. *Johannem Jacobum de Calais* (qui antea Monckedam consul fuit, & propter turbas inter Arminianos & Calvinianos istis terris egressus ad urbem vestram, quæ tunc primum consensu Serenissimi Holsatiæ Principis Friderici piæ Memoriæ (*cujus anima gaudeat & triumphet in sinu Abraha collegio Angelorum sociata!*) condita,) Dn. *Petrum Johannis De Calais* socerum meum p. m. ante quadriennium defunctum. Dn. *Jacobum De Calais* affinem meum Honoratissimum, dedit, qui adhuc in vivis, & munere Senatoris fungitur, inque locum Patris Beati annuente Clementia Principis Serenissimi, suffragiisque totius incluti Senatus electus successit, sicque ea familia antiquissima partem Senatus, partem primariorum civium & Mercatorum constituit.

Ea mecum perpendens, istorumque beneficiorum, quibus me affecistis, memor, mei erga vos animi grati testimonium & monimentum exstare volui publicè, quod in omnium incurreret oculos, neq; immensi temporis volumina delere valerent: Cum autem in mea potestate nil aliud esse reperirem præter exiguam literarum supellectilem (*quam licet totam semel dedicarim Serenissimo Principi Domino nostro Clementissimo, ejusq; incluto Athenæo, & in isto studiorum gratia commoranti Studiosa juventuti* ex omni

 popu-

populo huc confluenti,) ex ea depromo hoc chartaceum manus, & sequens opusculum vobis, Nobilissimi Domini, inscribo, ut eo gratitudinem meam qualicunque modo contestarer.

Mos dedicandi libros non solum antiquissimus, verum etiam ab omnibus moratioribus gentibus, gentiumque Dominis in summo precio habitus, proque maximi honoris & devoti animi Symbolo æstimatus est, magnisque honoribus dedicantes mactarunt, quamvis & nunc abusus quoque usui sit commixtus, & *peccatur hic extra & intra muros Iliacos!*

Accipite ergo, Nobilissimi Domini, benevolo animo, favente fronte hanc Tabellam honori Vestro inscriptam, quam nunc in immortalitatis æde famæ vestræ Inclutæ & Gloriosæ consecro, neque tam has paucas pagellas, quam personam offerentem, ejusque animum æstimate, ut aliquando majora & Vestro nomine incluto digniora (totus jam in eo sum talentum meum á summo Deo mihi concessum ita impendere liceat, *Serenissimi principis Domini Nostri Clementissimi Clementiam ulterius promereri, spartam meam magis ornare, Studiosæ juventuti vita & doctrina prodesse queam,*) subsequantur, dabo operam, regimen vestrum firmum & pacificum faciat Jehovah. Valete, vivite, florete, & favete! quisum

Vest. Nobiliss. Nom.
add.

Scripsi Kiliæ Anno 1677.
Die 6. Septembr.

Johannes Ludovicus Hannemann, M. D.
Philos. Natural. Profess. Public. Ordin.
Cæsareæ Leopoldinæ societatis curiosorum COLLEGA.

PRÆ-

PRÆFATIO.

AEtas hæc nostra, quamvis nunc sit ultima mundi senecta, imo vespera, valde delicata & curiosa est, totaque experimentis dedita, tumque colligendis observationibus occupata, & illis nunc integræ nationes, Angli, Germani, Batavi, Galli, Dani navant operam, in Anglia Celeberrima est societas Regia, in Germania Academia curiosorum, vel Leopoldina societas dicta, cujus nunc per quadriennium quoque Collega fui, & oppidò quædam rara observata & curiosa transscripsi, quorum quædam etiam exstant in editis Tomis, maximam verò partem ubinam hæreant, ignoro, & nisi successu temporis in iis edendis Tomis locum inveniant, peculiarem syllogen publicaturus sum, & alia quædam addíturus, parem querelam etiam instituit hujus academiæ Zephyrus Nobiliss. Tilingius Amicus Noster honoratissimus.

Dani etiam sese totos naturæ scrutinio mancipatunt, & palmam curiosissimis suis actis editis disputant, quorum quartum & quintum volumen autore & collectore Excellentissimo Domino *Thoma Bartholino* Regiæ Majestatis Archiatro dignissimo, consultissimo, & Anatomicorum nostri seculi facile principe, (adeo ut etiam Patavium ipsum ad cathedram anatomicam communi conscriptorum patrum Academiæ consensu vocaverit, quam tamen vocationem accipere renuit propter senectutem, tum etiam ne jacturam faceret Clementiæ Regis, hic enim Magnus Monarcha summum hunc virum Bartholinum propter insignem eruditionem & experientiam magna sua regia Clementia dignum æstimavit, quam & ipsi perennem & in optimos filios traducem precamur.) Lucem aspiciunt, & eruditissimorum virorum album judicio *Minervæ* calculum merentur, in quam auream messem stipulas quasdam congessi, amore prodesse liceat publico, quem finem mihi semper habeo propositum, hocq; in labore (annuente Deo) pergam, & quotannis opuscula Medica & Philosophica Publicaturus.

Et non admodum diu est, cum adhuc transscriberem oppidò quandam raram historiam, & admirandum naturæ phænomenon ad celeberrimum *Thomam Bartholinum* Magni Thomæ magnum filium (qui jam ante annum *Eruditissimam Dissertationem Historico-Philologicam de Langobardis* communicavit erudito orbi tumque *eruditissima epistola* eodem autore in 4to volumine actorum de urinatoribus mihi inscripta exstat, deque eadem materia eruditum commentarium promisit, & multa præclara de hoc eruditissimo Thomæ filio nostræ Reipublicæ litterariæ polliceor, & non dubito quin quædam egregia publicaturus sit in volumine actorum sexto de *æthiopum ortu & Republica*, qua de re ipsius mentem ad ipsum meum *curiosum scrutinium Nigredinis posterorum Cham* transmittens rogavi) quod procul dubio loco suo dignum æstimabitur in edendo volumine actorum sexto, curiosi & oppidò rara adhanc suam auream messem conquirunt Dani Medici Excellentissimi.

Ne verò B. L. novarum rerum avidus hujus phænomeni notitia nimis diu careat, hic quoq; inserere placuit. *Anno 1677.* (qui adhuc currit) *die 26. Junii mane circa horam nonam nostræ Academiæ Typographus Dn. Joachimus Reumann per puerum suum apportandum curavit ovum à Gallina recens editum magnitudine sua anserinum ferè æquans, cujus corticem cum frangeret ancilla in usum domesticum, aliud ovum inerat naturali magnitudine præditum, intrinsecum ovum majoris ovi ambientis albumine circundatum, ut cui hoc ovum loco vitelli erat, pulchrum & jucundum naturæ phænomenon ideam terraquei orbis aquis innatantis & aere circundati, quem albumen referebat, & calo cincti, quod cortex exterioris ovi repræsentabat, refert* Paulo ante prælaudatus Typographus *D. D. Majori Collegæ Honoratissimo citrum in citro, vel citrum alio citro prægnans obtulit, cui & hoc ovum ostendit.* Dignum profectò phænomenon, ut narraretur curiosis, quomodo autem istius ovi in ovo Genesis contigerit, curiosis reustius scrutinium relinquo, instituti ratio non permittit hac de re philosopher, vel prolixè in eam inquiram, hancque provinciam ipse suscipiet *prælaudatus*

Tho-

Thomas Bartholinus ingenio sagacissimo, & incomparabili scientia præditus, quem & hic audire placet, & curiosorum desiderio omnino, *me sponsorem interpono*, respondebit.

Tu vero L. B. nunc rursum à me editum accipis opusculum vel *Ætiologiam curiosam* purgantis facultatis, qua de re cur scripserim permultæ causæ fuerunt, quæ mihi calcar addiderunt, verum harum recensui nunc non immorabor, neq; sunt hujus loci: ansam aliqvatenus, ut me tribus absolvam, *sumsi ex nostra Methodo cognoscendi simplicia vegetabilia*, quæ & nunc procul dubio tuis teritur manibus, *et multa insunt*, quæ *requirunt prolixiorem Elucidationem*, & qvoniam eam meditor, à *facultatis purgantis scrutinio facio initium*; insunt præterea huic operi qvædam historica cognitionem vegetabilium Grammaticam respicientia, ea mea non agnosco, neq; pro meis vendico, sed ex vetustissimo qvodam. MS. qvod olim ære meo comparavi, delumsi; postea amici optimi qvidam me monuerunt *die 22. Aug. illa* ipsa in celeberrimi *Conringii* Manuductione exstare, qvem librum ante eum diem neqve, me legisse, neqve vidisse *Testor Deum*, proqve hac admonitione amicis dico gratias, qvoniam nunc cuiqve suum reddi potest, & reddam ea, qvæ sunt magni Conringii, Celeberrimo Viro, cum fænore Gloriosissimæ ejus memoriæ, hoc hic indicare operæ pretium ratus, ne me annumerent iis, qvi alienis plumis superbiunt, vel invidi exinde ansam capiant me apud bonos Calumniandi, ut qvi sæpius contra me *nodum in scirpo quærunt*. Tantum hic præfari placuit, brevi phimilegium institutam de nutritione vegetabilium! Vale, & fave L. B. Et Mecum pacem opta, ut liceat literis navare operam!

Kiliæ Anno 1677. d. 6. Septembr.

Ætiologia Philosophico-medica curiosa

FACULTATIS PURGATRICIS

Qua

Ostenditur in resinosis particulis non esse collocandam catharsin

AUTORE

JOHANNE LUDOVICO HANNEMANNO,

Med. & Phil. natural. Profess. Public. ordin.
Leopoldinæ cæsareæ societatis collega.

§. I.

HOc labore supersedere liceret, cum de hac materia prolixè agendi occasio sese offerat in nostro opere de Fermento & Fermentatione in Pathologia & Therapia. Tum & de hoc quoque quædam inseruimus in nostram *Method. Cognoscendi simplicia Vegetabilia* §. 58. p. 131. 132. 133. qui Tractatus jam omnium manibus versatur; Verum enim vero [illegible] Excellentissimi Medici sequaces pro hâc sententiâ tanquam pro aris ac focis pugnant, & eruditissima quoque, quædam nostri seculi eruditissimi lumina, ne dicam numina hanc sententiam tam plausibilem credunt, et arbitrentur, eam opinionem nullis argumentis, nullis rationibus posse labefactari, & propterea præcipuè quoniam ipsis ita placuit: Ne vero nimium sibi in hoc gratulentur & applaudant, ingenii nervos in subsidium veritatis intendere placet hoc dogma destruamus, pateatque non tam cum Autoribus, quam rationibus loquendum esse, & frustra allegari magnorum nominum suffragia, ubi rationum pondera militant. *Sed sit per nos cuique suum pulchrum*, in tantum tamen de hac quæstione nobis quoque scribere, in quantum liberè philosophari licet: disputaturi tamen sumus nulli injuriam inferendo aut Personæ nomen sinistrè allegando. Qui enim saltem à limine Medicinæ

sacra

sacra salutavit, ille, qvinam Autores hoc dogma defendant aut primò propugnarunt vel in scholas introduxerunt, novit.

§. II.

Veteres Medici, qui Galenismo & Aristotelismo dediti omnia metiuntur qualitatum & formarum doctrinâ, & ubi hærent statim ad occultarum qvalitatum asylum confugiunt, Et miramur hos Philosophos omnia naturæ phænomena ad formarum qvalitatumqve regimen revocare, cum tamen ipsi hactenus suam ignorantiam circa qvalitatum & formarum naturam pleno ore fateantur. Sic & Medicamentorum qvalitates ipsis semper in ore & calamo, & ut nunc ex sexcentis unum adducamus: *Jachaus* Lib. V. c. 3. Institut. p. 245. *Distinguuntur qualitates, in quas occultas & manifestas. Hæ dicuntur non tantum primæ, sed quæ primas immediate consequuntur, ut mollities, durities, cæteraque temperamentum comitantes. De occultis dubitatur, quidam omninò eas tollunt, ajuntq; omnes actiones à manifestis fieri qualitatibus, quidam admittunt, asseruntque à formâ substantiali proximè manare, sicut vis stupefaciendi in Opio. Hæc occulta qualitas non sensu, non ratione, sed solâ experientiâ deprehendi creditur. & quanquam a temperamento non immediate fluat, supponit tamen debitum commodumq; temperamentum.* Hactenus Celeberr: *Jachaus* sui temporis Medicorum decus. Eodem modo omnes Veteres & mediæ ætatis, & qvidam nostræ ætatis Medici philosophantur: Verum nos alibi hanc de qvalitatibus doctrinâ *labyrinthum* nominavimus. Et sic hactenus Philosophi & Medici talibus terminis merè logicis usi sunt in tradenda Philosophiâ naturali & Medicinâ docenda, non sine maximo discentium detrimento: & ipsi docentes nondum genuinam istorum terminorum significationem assecuti sunt, qvod probant istæ litium adhuc sub judice ferventium chiliades. Et quid multis? Error omnis inde natus, qvod nimium *Aristoteli* adhæserint, qvia *Aristoteles* vel mentienti fides est! Qvare non malè *Hobbes Cap. 2. Logic. p. 16. Postremo fateo,* inqvit,

nec Prædicamentorum usum in Philosophiâ hactenus magnum perspexisse Cepit, opinor, Aristotelem libido quædam pro autoritate suâ, cum rerum non posset, verborum tamen censum peragendi. Nos vero qvalitates ignoramus in physicis & Medicinâ; illæ demum sortiuntur locum in morali Philosophiâ, & illud vocabulum qvalitas neqvidem nominandum vel usurpandum est: qvippe res evidentes majoribus difficultatibus involvit, ita nobis termini illi valde sunt exosi & in nostris scriptis iis non utimur: *placeat vel displiceat.*

§. III.

Postquam vero Philosophorum Phœnix Renatus de Cartes, & post *Henricus Regius, Anton le Grand, Erasmus Bartholinus, Wedelius* & alii insignissimi viri particulas porosqve respexerunt & corpuscularem Philosophiam docuerunt, istis qvalitatibus repudium missum est; & omnia ex Philosophiæ corpuscularis oraculo examinarunt, & cum ingentem usum Philosophiæ corpuscularis perspicerent & animadverterent Medici, secundum ejus quoque dictamen novam *Pathologiam,* & *Therapiam* invenerunt, (utramqve nos felicissimo successu ex fermento & fermentatione eduximus, qvi tractatus & brevi (volente DEO) lucem aspiciet, præmittemus autem commentarium nostrum *de fermento & fermentatione Physicum* ex unico Principio *Nitro profluentem prono alveo)* ac secundum eam Philosophiam Medicamentorum vires scrutati sunt, sic eorum qvidam Pharmacorum purgantium catharsin ex resinosis particulis derivare conati sunt. In eam sententiam nunc peculiari hoc opusculo inqvirere placuit; Etenim hic non fit verisimile, catharsin purgantium Medicamentorum ex resinosis particulis fluere ob rationes qvasdam generales, qvas ipsa Philosophia suggerit corpuscularis, tum ob rationes, qvas ipsa Medicamentorum evacuantium situs, motus, figuræ harmonica complexio dictitat. duplicem rationum phalangem in acie hac instruemus, & confidimus (*rumpantur ilia Codro*) nos demonstraturos in aliis particulis catharsin esse collocandam, & qvantum possibile, vel instruti

ratio

rario permittet, ex figurarum modificatione catharsin derivaturi sumus, unde revera major lux accendetur nostræ Arti Asclepiadeæ. Destructo hoc dogmate vim elasticam *Willisii* figmentum destructuri sumus, & alia quædam dogmata Willisianorum.

§. IV.

(1.) *Scire est rem per causam cognoscere: quomodo vero Philosophus* rem per causam cognoscere dicitur, nisi intima rerum principia rimetur, & ex ipsis primis minimis tanqvam primis principiis, qvibus nil prius dari, vel fingi potest, causas deducat? Non inqviremus nunc, quænam sint prima rerum physicarum principia, præstitimus id in peculiari *Scrutinio de Principiis corporum physicorum*, qvod nobis unicum est (1) *Causa universalis efficiens unica* Principium, ex qvo corporum creatorum unicum videlicet *Nitrum*. (2.) *Quanto magis res Physicæ* ex unico & adæqvato principio educuntur, tanto melius explicantur, &c. (3.) *Ipsa natura* ad unicum principium magis qvoqve inclinare videtur, qvam ad multitudinem principiorum. (4.) *Multa principia* qvæ numerum unius excedunt pariunt confusionem, & res plus obscurant qvàm illustrant. Tantum & hic de unico nostro principio in medium attulisse sufficiat. Ex tali aliqvo principio ut omnes res deducendæ sunt, sic qvoqve hinc Medicamentorum vires accersimus: nam illud unicum Principium juxta diversam particularum, particularumqve pororum modificatas figuras omnem efficaciam & energiam exserit. Qvod si id Philosophus corpusculari Philosophiæ deditus ita animadvertat, minimè acqviescit in Principiis principiatis, & quæ ita suâ naturâ comparata sunt, ut rem minimè explicent: nobis nunc non esset grave aut difficile ex unico hoc principio medicamentorum vires derivare, verum velum contrahimus, & tam alto oceano rates nostras nunc committere non propositum, sed uti dictum, solummodo de Pharmacis purgantibus agemus: istorum verò vires, qvantæ qvantæ sint, huic unico principio, ut planta radici, innituntur. Illud verò de resinosis particulis præsumere non licet,

 ut

ut quæ non sunt prima minima, sed ex Primis Minimis deductæ, ita saltem modificata, ut particulas sub tali unctuositate constituant; & quando resolvitur ista unctuositas à particulis minimis, vel, inquam, quando hâc viscidıtate unguinosâ orbantur, tunc & magis proximè accedunt ad ipsa prima minima, & hæc est radix tantæ efficaciæ in rebus physicis & in dictis Pharmacis. Hanc non respiciunt vel attendunt resinosarum particularum patroni; & quamvis libenter concedamus primum illud principium juxta figuræ suæ modificationem actiones suas exercere, nihilominus primum principium radicale attendendum est, neque ipsum fontem, ex quo primò resiliant efficaces energiæ, neglectum habendum esse volumus, quid verò hic faciant resinosarum particularum Patroni vel alii, patet ad oculum: primum enim principium semper influit in istas particulas ita modificatas, & harum energiam ad determinatum scopum vel finem pleniorem dirigit tanto conatu, ut hinc res id perficiant ad quod perficiendum vi legis adrasteas in primordio creationis à summo DEO benedicto dictæ, sunt ordinatæ, factæ & creatæ.

§. V.

(1.) Quomodo Philosophus rem per causam cognoscere dicatur, præcedenti § innuimus, & quod revera non tam principiata quam principia attendere debeat, diximus. Illi nunc, qui particulas resinosas respiciunt in Catharsi pharmacorum investiganda, aliquid humani patiuntur: quippe resinosæ particulæ, ut de iis jam loquamur, ita sunt comparatæ, ut id efficere minimè valeant, quod ipsis tribuitur, & propriè illa operatio cathartica ab illis non dependet, in se enim spectatæ sunt particulæ viscidæ pingues seu unguinosæ, quæ ob viscidam glutinositatem arctissimè sibi invicem cohærent, & omnibus rebus, præcipuè animalium & vegetabilium familiæ insunt: nam dum particulæ contextum continui ingrediuntur, illius continui contextus poros permeant istæ particulæ viscidiores, &, nostro arbitratu, sunt quasi sedamina vel excrementa, quæ istarum particularum

pori

pori emittunt & excernunt, & hæ excrementitiæ particulæ resinosæ in qvibusdam corporibus exsudant, & rursum in massulam aliqvam coëunt: in aliis verò corporibus per omnes particularum poros sunt confusæ & dispersæ sub formâ alicujus unguinosæ materiæ vel viscidæ, & qvod sub tali forma apparet dicitur resinosum, qvod præ reliqvis contextus continui particulis sic pingue qvid: & qvamvis sua naturâ facile ignem concipiat & inflammabile sit, tamen propterea non est sulphur, sed impurior pars sulphuris pinguior, imò potius excrementum sulphuris, cui sese associant diversi generis corpuscula, qvæ ob excrementitias sulphuris particulas, qvibus circumfusæ sunt, adeò promptè ignem concipiunt. Instituamus, qvæso, talem anatomen istarum particularum resinosarum & revera ultra patebit (1.) *istas resinosas* particulas istius efficaciæ virtute, qvam ipsis tribuunt, omninò destitui, & nunqvam obtinuisse, uti & id palàm fiet ubi ad species vel ipsa, pharmaca descenderimus: (2.) *Istas resinosas* particulas revera ab ipso vero sulphure esse distinctas. Qvæ duo si obtinuerimus, ut nos facilè obtinere posse confidimus, cadit dogma asserens vel tribuens catharsin resinosis particulis: nam valde ridiculum est id velle tribuere particulis in poris excrementitiis, qvod integræ rei substantiæ debetur, & qvod æqvè bene perfici potest iis absentibus, qvàm præsentibus. Neqve id probare difficile erit, cum dantur multæ species, qvæ catharsin peragunt, in qvibus resinosæ particulæ vel omninò *nullæ*, qvalia sunt purgantia ex mineralium classe, vel admodum paucæ, tunc etiam necessario præsupponendum est, illa corpora, qvæ tota sunt resinosa fortiùs purgare, qvàm qvæ non sunt resina, & hic ipsis adhuc aqva hæret in probandâ hac thesi, neqve adsunt hujus rei evidentia & fida experimenta. Sed ad rem!

§ VI.

(3.) ***Pergimus nunc ulterius istas resinosas particulas examinare,*** & videre, an hanc Catharticam vim habeant. Genesin istarum Resinosarum particularum modò ante descripsimus:

jam verò ipsam vim catharticam scrutabimur, an illa profluat ex resinositate particularum. Nos, uti omnino patet negativam eligimus; ignoscant verò *Willisii* seqvaces & alii magni viri, qvi hic affirmativam tuentur, facimus id & defendimus citra omnem excellentissimorum Virorum injuriam, & minimè propterea nomina Celeberrimorum Medicorum calumniabimur, & etiam nos liberè philosophantes ferent: *Catharsis est vis purgans, quâ medicamenta humores è corpore evacuant:* nam dum ista pharmaca â nobis assumuntur, fermentum nostrum stomachicum statim particulas suas aculeatas in assumpti poros inserit & immittit, & istum contextum continui admodum blandè solvit, istoq; soluto contiguatur assumptum in particulas valde albicantes chylum referentes. Et ut nunc qvoqve Genesin chyli describamus, iste ita fit: *Fermentum nostri stomachi* (sive illud nunc sit acidum, vel acido salinum, non disputamus heic, fiet alibi, sed est *nitrosum* &c. *assumpta saliva in ore conspersa* (saliva qvippe est primum illud Menstruum blande solvens, & illa tam arctè sese in poros inter masticandum inserit, ut tunc omnes particularum pori statim fiant dissolutioris contextûs, verbo, contiguantur: in isto contiguationis actu ad ventriculum demittuntur) *Quam citò nunc fundum ventriculi ingrediuntur, juxta pororum constitutionem excavat & in sphærulas resolvit, ita ut ipse chylus proprie nihil aliud sit, quàm alimenti contextus continui solutio in materiam contiguam vel in sphærulas resolutam. & dum ita alimentum in sphærulas resolutum est, omnis ea materia, quæ ita in sphærulas resolvi non valet, faces constituit, & hæc contumax est, & istam excavationem in sphæricam formam non admittit: hinc etiam provida natura statim illam materiam tanquam inutilem vi duumviratus* (de qvo alibi loqvemur) *sequestrat. nullo enim modo posset fieri utilis materiei ab inutili sequestratio, nisi fieret talis in sphærulas excavatio. Quæ autem nunc in sphærulas excavationem subterfugiunt, quoque alia tinctura vel flavâ vel alia imbuuntur, & sunt non solum particulæ alimenti duriores, sed figuras habent angulares, ut*

licet

licet Particula fermenti sese inserant, nihilominus ista figurâ non admittunt excavationem in sphærulas, hinc quoque in chylum & albicantem liquorem non transmutantur. contumacia solutiones sunt vel censentur pinguia. Qvando nunc pharmaca purgantia assumantur, illa primò salivæ impressionem in ore qvoqve patiuntur: in ventriculum verò demissa, fermenti actioni alterius qvidem subjiciuntur, sed horum contextus continui ita constitutus est, ut tam altè non imbibat particulas fermenti aculeatas, ut in chyli contextum tota cedant, sed pars illorum, & illa pars novum fermento chylo communicat, seseqve in momento ferè instar contagii per totum corpus diffundit: nam omne corpus animalis intrinsecum cribrosum est & adeo permeabile, ut nil non admittat, nisi aliqvid sit, *quod primam excavationem in sphærulas respuat.* Tales qvædam particulæ insunt pharmacis purgantibus, & illæ particulæ in poris chyli existentes semper meditantur sui seqvestrationem, neqve prius qviescunt, qvàm vim suam exseruerint, hinc & non solum œconomiam stomachi, sed & intestinorum turbant, & ea contagiosa aura purgatrix, qvæ totum corpus pervadit, ubiqve œconomiam totius corporis invertit, materiam solvit, & ad excretionem & seqvestrationem sollicitat qvamcunqve materiam utilem & inutilem, peccantem & non peccantem, uti & rectè sentit ille Polonorum *Æsculapius Andreas Cnoffelius, cum omne solutivum nil electivè educat* vitiosi, sed indifferenter, exceptis paucis mitioribus & balsamicis, virulentiâ sibi propriâ omnia in omnibus, etiam ipsos substantiales liqvores, hesternum simul cremorem sanguificationi destinatum instar torrentis abradat, & corpus nostrû in liqvamen illud putridum subigat. &c Et paulò post: *Vasaq, & vasorum substantiam vastâ* à furto & veneno pharmaci subducta, non

reper-

reperta ante exhibitum Medicamen in nobis, sed introducta & facta, cadaverante & colliqvante veneno solutivi &c. *Confer nostr. Method. Cognosc. simpl. Vegetab.* §. 56. p. 123. 124. &c. Et revera non mirum ista aura contagiosa purgatrix momento corpus pervadens dividit & incidit humores obvios qvoslibet sine discrimine, *ac uti aura cibi acidi salivam in ore colligere valet, nam statim ad cibum acidum, vel quem libenter appetimus, & ad ejus conspectum os saliva madescere plus solito incipit, aliter revera non peragitur vis cathartica in corpore & aliter explicari non valet pharmacorum ætiologia.* Particulæ vero qvædam crassiores cathartic in ventriculo primo vel cremore isto lacteo chyli primum dant tumultum, secundum tumultum & in intestinis, & universalem tumultum & turbam in toto corpore, hinc materia semel mota & impressionem particularum catharticarum passa illico immutatur à suis debitis figuris, & alia tinctura coloris imbuitur, qvæ operatio tam diu efficax est, qvamdiu videlicet illa aura contagiosa operatur, & dispositio cathartica in intestinis perseverat. Non mirum ergo est qvamlibet materiam præcipitari à particulis catharticis, qvæ in totũ ita comparatæ ut nullo modo cedant vel cedere valeant in communem [illegible] vel œconomiæ corporis texturam, sed totaliter respectu suæ substantiæ adversæ, & magis contextum solvere, & contiguare qvàm continuum causari valent, qvod notandum. Jam videamus, an resinosæ particulæ, ut Celeberrimi Viri cum *Willisio* Insignissimo Angliæ Medico volunt, hanc Catharsin absolvere valeant: nobis vero id non videtur (qvod tamen pace horum illustrium virorum dicimus) nam resina in se spectata est pinguior cujuslibet rei pars sulphurea excrementitia, hæc omnino ita comparata ut contextum continui non fugiat, sed puriorem suam partem oleosam vel pinguem sibi rapiunt & associant particulæ nostri corporis balsamicæ oleosæ, qvæ exinde augmentum & nutrimentum capiunt, impurior pars propter figuræ diversitatem amandantur & seqvestrantur ad vias evacuatorias, per qvas ejiciuntur tu-

nd

ad cum fæcibus alvinis, vel qvæ spirituosior pars, transit quin insensibili transpiratione, & resinosæ particulæ qvæ balsamicæ nostro corpori imo ipsi nectari sangvini sunt magis familiares, qvàm ut motus istos in corpore concitare qveant, qvales ut plurimùm animadvertuntur in corporibus vis catharticæ impressionem patientibus. Tum præterea resinosæ particulæ ita sunt dispositæ, ut magis ad contextum continui consocient, qvàm ut qvid dissocient, aut etiam id solvant, qvod jam cremor est sanguificationi destinatus: nam ille cremor balsamicis particulis pinguioribus, viscidis plenus est & abundat, & qvando nunc ad eam accedunt particulæ balsamicæ resinosæ, illæ magis & magis cremorem istum perficiunt, sicqve ulterius præparant, ut inde, uti dictum, nectar vivificum sangvineum conforterint. Sunt ergo arbitratu nostro *particulæ resinosæ sustentamina nectaris vivifici*, minimè vero id turbantes particulæ. Oportet autem particulæ qvæ catharsin absolvere debent, tota sua natura valeant sese inserere in intimam humorum medullam, & poros illius magis extendant, & una cum hac extensione in liqvamina redigant, qvæ liqvamina instar torrentis (est phrasis Celeberrimi *Cnoeffelii*) abradunt illæ particulæ, istaqve abrasa qvasi extravasantur extra sui continui contextum, hinc in se fermentescunt, & una cum tumultu universæ œconomiæ corporis præcipitantur, adeo ut etiam in ista præcipitatione horum liqvaminum totum corpus inhorrescat & horrore concutiatur: nam perpendat qvis secum, qvando fit talis abrasio liqvaminum ex particulis cremoris sanguificationi proximi, tum etiam succi nervei, (*est Medicorum Anglorum formula*) id profectò fit aliqva cum vehementi in contextum continui tendentium contiguatione (totius enim œconomiæ corporis mysterium in *continuatione & contiguatione*, i. e. fermento assimilativo & seqvestrativo consistit) id verò velle tribuere particulis balsamicis resinosis, vel resinosis sensu *Willisii* etiam acceptis, non videtur veritati tam congruum. Tum qvod parti-

C culæ

cuiæ resinosæ etiam, inqvantum sunt excrementitiæ sint potiùs à putredine corpuscula conservantes.

§. VII.

(4.) *Demonstravimus præcedenti distinctione resinosas particulas non contiguare* (hac phrasi uti placet) *sed continuare*, vel potiùs in continuum contextum compingere, sicqve etiam minimè vim catharticam possidere, jam obtinebimus à sulphure esse distinctas, de qvo etiam qvædam, sed admodum pauca in medium attulimus in nostr: *Method. Cognosc. Simpl. Veget.* (*in quam quædam, quæ historica sunt, ex MS. vetustissimo transtulimus, & nunc postea comperimus, ista etiam exstare in Celeb. Conringii Manuductione ad Medicinam, hunc librum nos nunquam vidisse aut legisse DEUM testamur ante diem 22. August. quare & id indicare non veremur, quod reliquum in eo est, nobis vendicamus, & optimo jure dicere possumus, nos nulli mortalium quicquam descere aut plagium commisisse ullibi, itaque nihilominus rectè plagium accusare nobis licuit* (§. 58. p. 133.) *Vide præfationem huic opusculo præmissam:* (*I.*) [illegible] resina sulphure pinguior ac viscidior est, hinc [illegible] particulæ arctius cohærent in contextum continuum, qvoniam istæ particulæ viscidæ poros istos obsident, & poros adeo coarctant sua viscidítate, ut etiam nullibi densiores minores pori, qvam in resinosis particulis. *Sulphur* è contra non præditum est per se tantâ viscíditate tenaci, & licet etiam arctè coëunt ejus particulæ, nihilominus tamen [illegible] non adeo cohærent, & ea pinguedo vel oleositas, qvæ [illegible]rtè in sulphure nativo, qvod è terrâ effoditur invenitur, [illegible] est ipsi naturalis & primigenia, sed id pinguedinis habet ex admistis terræ particulis, vel propriè istæ particulæ [illegible], qvæ sulphuris poris insunt, sunt [illegible] tenaci[illegible] in terrâ existentis, qvo terræ corpus oblitum & circumfusum, ne subter[illegible] calor nimis cito avolet, & istud [illegible] pascit ille calor, [illegible] suum [illegible]mentum vel pabulum sumit,

mit, hinc qvoqve nigredo terræ, qvoniam illæ particulæ lucem absorbent & non reflectunt in excavationem sphærularum, adde nostr. *Curios. Scrutin. Nigred. Posterorum Cham*, sicqve *sulphur* qva sulphur & purum est ab his particulis distinguendum venit. *Sulphur* (*Juxta Celeberr. Hoffmann.* in suâ *Clave Schrœderianâ* lib. III. Cap. XXVIII. p. 367.) *est Resina*, sive pinguedo terræ, sive est succus mineralis unctuosus pinguis, *constans copia* (*NB.*) *puri sulphuris* (*NB.*) *ingenti*, modica salis acidi qvantitate, & tantillo Spiritus aqvæ & terræ: cum enim ab oleo destillato Tereb. vel junipr. &c. pars sulphurea tinctura valde saturata menstruum impregnat, salina concrescit in crystallos, aut qvando sub campana accenditur, sulphur penitus deflagrat, interim sal resolutus acidus circa vasis latera desigitur &c. Examinemus nunc verba Magni *Hoffmanni* (Amici nostri, dum vivis annumeratur, optimi, ut probabunt ejus Eruditissimæ Epistolæ ad nos scriptæ aliqvando publicandæ cum amicorum Epistolis, qvarum qvatuor centurias de omni scibili ad prælum paratas habemus,) & qvamvis autoritatum suffragia hic non colligamus, neqve qvicqvam moramur, sive contra, sive pro nobis loqvantur, & palàm fiet, ea ipsâ nostram thesin, qvâ statuimus resinosas particulas â sulphure differre, magis magisqve continuare, & adeo, ut sit totus noster hic Celeberrimus Vir Medicorum Decus & Lumen: duplex vero sulphur hic refert & commemorat Hallensis Medicus (1.) *est resina* seu pinguedo terræ, hoc modò ante narravimus, & qvomodo sese admisceant particulæ terræ pingues, & cujus generis sint particulæ, (2.) *sulphuris purimentionem facit*, & hoc reverâ longè diversum & distinctum est ab illo, qvod dicitur terræ resina seu pinguedo, sulphur qvidem dicitur, verùm propriè *Nitrum* est ita modificatum & particulas sic dispositas habet, ut facilè ignem admittat, *qvo & in ipso nihil insumit*, nisi qvod fortè heterogeneum ipsi admixtum, *ignis qvippe est universalis analysta*, *nihil consumens aut absumens*

 sub-

ſubſtantialiter, ſed heterogeneum ab homogeneo ſeqveſtrans. Sicqve duplex ſulphur alterum pinguedo terræ, alterum purum, poſtremum à priori diſtinctum, & id eſt qvod volumus, ſic *Hoffmannus* nobis porrigit arma & ſuppeditat argumenta, qvibus ſulphur qvà ſulphur profectò à reſinâ & terræ pinguedine diſcriminatur. Nil hic affingimus Autori, ſumimus verba ut jacent, nil addendo vel detrahendo, aut in ſenſum noſtrum torqvendo vel invertendo, & deniqve nobis perinde eſt an ſint contra vel pro nobis, nos nullam autoritatem in teſtimonium ſollicitamus, vel mendicamus inopia rationum laborantes. (II) *Nihil oleoſi* vel pinguis ex ſulphure elicitur per analyſin Spargyricam, ſed *acidum* in ſe continet: & deniqve qvid intereſt, ſtatuatur ſulphur pingue illud, nihil præjudicat noſtro aſſerto, vel qvicqvam patrocinatur reſinoſarum particularum patronis, ad minimum tamen concedere tenentur, ſulphur purum ab iſtis particulis reſinoſis differre, qvibus catharſin tribuunt, & hic diſcrimen aliqvod ſtatuendum eſt, res enim non ſunt temerè confundendæ, & etiamſi concederemus ipſas reſinoſas particulas catharticas juxta eorum dogma eſſe ſulphur, tum qvà ſulphur qvidem cum aliis particulis purgat, ſed qvà reſinoſum magis tardat, qvàm movet alvum; dicimus cum aliis particulis ſcilicet *Nitro-Salinis*, ut audiemus poſtea, qvod tamen nos facere nulla argumentorum pondera cogunt vel adigunt, tamen nondum hoc pacto evictum eſt, vim catharticam iis particulis eſſe tribuendam, ut paulò poſt palam fiet in ſubſeqventi diſcurſu: nulla enim argumenta, nulla experimenta adſunt, qvamvis fortè magnorum nominum ſuffragia militent, verùm illa, ut ſæpius dictum, nihil concludunt & vim probandi non habent, ſed malumus nos ſulphur à particulis reſinoſis diſtinctum agnoſcere: & tantum hic qvoqve attuliſſe ſufficiat, plura hic non coacervamus, cum ad adeo theſin noſtram labefactare non valeat, vel arietare qveat.

§. VIII.

§. VIII.

(1.) *Ex hactenus dictis argumenta acholica peti possunt,* quibus infringamus hoc dogma de resinosis particulis purgatricibus, accedimus nunc ad alia argumenta, quæ hinc profluunt, & probant in sulphure, quæ resinosas particulas habet admixtas non inesse catharsin, sed requiri quoque particulas aliter dispositas aculeatas, quæ omnem copulam, vel intimum connubium cum contextu continui respuunt: videmus enim ea pharmaca, vel & aliæ res, quibus multum oleosi vel pinguedinis inest non fortiùs purgare, quàm quæ prorsus iis destituuntur. Antequam nunc ipsorum pharmacorum examen instituamus, jubet examini subjicere res valde oleosas & pingues, quæ tamen alvum minimè movent aut debito modo evacuant, sed potiùs eam adstringunt: E. g. *Nux Muscata*, nonne satis multum pinguedinis oleosæ possidet, quis autem asseret vel tribuet illi vim catharticam? quod si nunc resinosæ particulæ alvum laxent, quid magis laxabit quàm nux *Muscata*, ut quæ tota pinguedo vel oleum, tota in oleum diffluit, & si sulphur & resinosæ [illegible] differunt, tota *nux Muscata* sulphur est, sicque juxta eorum hypothesin esset purgans vehementissimum; quis verò Medicorum unqvam expertus vim Catharticam huic *nuci* inesse? Contingit quidem sæpius, ut alimenta obstruentia, alvum in aliis purgent: sic quædam Generosa Matrona in Ducatu Bremensi mihi retulit, se novisse fœminam, cui semper alvus solvebatur, *Oryzæ* esu, quæ tamen omnium Medicorum consensu obstruit, adeo ut etiam ejus usus recommendetur in *Diarrhœa & Dysenteria*, ubi revera *Oryza* particulis resinosis id non efficit, sed causa in corpore quærenda. Nunquam verò legimus aut relatione accepimus *Nucem Muscatam* qvolibet modo assumptam alvum movisse, fluxum ejusdem causasse, & qvod maximum est etiam ipsa oleosa substantia expressa externè umbilico (*Vide Hoffmannum* d. l. L. IV. Sect. I. §. CCXXX. N. 270. p. 507.

p. 507.) infantum inuncta diarrhœas ac tormina compescit eorum. Et de *oleo* fixo cagulato vel Magisterio idem *Hoffmannus* D. l. p. 508. sic loqvitur: *summum est arcanum in colica cum alvi fluxu*, diarrhœa, dysenteria, ventris torminibus, mensium fluxu nimio, & omnibus aliis corporis profluviis: similis etiam facultatis obstructivæ est *Macis*, qvamvis tota pinguis & oleosa. Sic & *Oleum Macis* destillatum ac expressum eodem conficitur modo & ratione qvalitatum roborantium, confortantium & astringentium sedativarum Archæi easdem imo præstantiores edit operationes *Hoffmann alleg. l.* Qvid nunc dicent ad id Resinosarum particularum Patroni? Qvomodo nunc *Nux Muscata*, *Macis earumq́; olea obstruant videndum* est, operationis obstruentis *ætiologia* consistit *in balsamicis istis particulis oleosis*: nam in *Diarrhœa vel Dysenteria*, qvolibetqve alvi fluxu dantur particulæ aculeatæ lancinantes, sicqve alvum turbantes, harum aculeos vel cuspides acutas obliniunt particulæ oleosæ, hinc illæ obtunduntur & hebetantur, & ita sistitur alvus in suo motu. Sic & reliqva aromata, in qvibus, qvamvis sulphur prædominetur, & particulæ resinosæ adsint, nihilò magis alvum laxant aut catharticam vim possident. Qvod si nunc catharsis in resinosis particulis tantum sita foret, ut volunt Willisii seqvaces, tunc utiqve aromata purgarent. Sed fortè nonnemo ex Willisianis mancipiis distinguet inter resinam *obstructivam*, & resinam *purgativam*, verùm illa distinctio magis est cerebrina, qvàm vera & realis: nam inqvantum resina est, non purgat, sed potiùs alias habet operationes: qvatenus autem vim catharticam exercet, non est resina, cæteroqvin ea fortiora essent purgantia, in qvibus maxima resinæ vel olei copia abundans, ut in nuce Muscato, mace, cinamomo aliisqve plantis aromaticis: si verò de sulphure loqvuntur *Willisiani*, & illud maximâ copia aromatibus inest. Qvid olea qvælibet alvum solverent, ut qvæ juxta eos *Willisianos* constant particulis resinosis copiosis? sed hactenus

id

id experientia nondum asseruit. Hæc qvæ hactenus contra catharsin in resinosis particulis disseruimus, illa utiqve eam sententiam Willisianorum adeo infringunt, ut revera non habeant, qvod possint opponere vel ulterius opinionem suam asserere: nam non sufficit distinctiones fingere & comminisci: *distinctiones ita erunt comparatæ*, ut finant ex ipsis rebus, & non coactè res distinguant, qvæ unum & idem sunt.

§. IX.

(6.) *Quod si sulphur à resinosis particulis nihil differt, ut volunt Willisiani*, tunc utiqve sulphur maximè gaudebit facultate cathartica, & strenue alvum movebit; qvare ideirco sumus tam laboriosi in adæqvatis purgantibus inveniendis? propinemus ipsum sulphur naturale vel fossile, enim illud si detur, minimè catharsin exercet per alvum, sed potius diaphoresin, ut probat experientia, qvod sulphur habeat facultatem mundandi sanguinem à recrementitiis particulis per blandum sudorem, non ita per alvum, nisi forte in paucissimis qvibusdam subjectis, qvæ singularia exempla *universaliter nil asserunt, à singulari ad universale non valet consequentia* dicitur in scholis. Sic Curiosi Collegæ nostri Honoratissimi in recens edito Tomo habent observationem, *Quomodo Rhabarbarum assumptum non alvum moverit catharsin exercendo, sed sudorem largum provocarit*, qvis stante vellet exinde inferre aut reddere talem conseqventiam: radix Rhabarbari in qvodam movit sudorem, ergo radix Rhabarbari est sudorifera? Qvod itaqve communis agendi rebus facultas est in cunctis vel plurimis subjectis, ab eo induplicitur nomen, ut vel catharticum vel diaphoreticum sit. Sic sulphuris operatio communis est diaphoretica non cathartica & diaphoresin promovet efficitqve: qvod si nunc resinosæ particulæ catharsin causentur, tunc utiq; *sulphur*, ut qvod resina sive pinguedo terræ, sive est succus mine-

mineralis unctuosus, pinguis juxta *Hoffmann.* (Vide §. VII.) fortissimam præ se ferret vim movendi alvum: verùm & hîc, ut ubiqve omni patrocinio suæ sententiæ destituuntur isti *Elastici Philosophi, & revera Elasticum spiritum in cerebro circumferunt, cujus instinctu tam experientia contraria philosophantur* & valde eorum dogma destruit, qvod sulphur non purget, licet etiam in totum concedamus, sulphur ex particulis resinosis non differre, qvamvis contrarium (§. VII.) omninò obtinuerimus. Sed cum videant sulphur non purgare, pœnitet eos jam absurdi dogmatis, qvod & lubens reformarent, si modò *Willisius* non dixisset, & à placitis tanti Præceptoris discedere renuunt, ut qvi sæpius ipsis verba in ora ingerit, neqve eos pudet integras paginas ex eo more psittacorum suis discipulis recitare. Verùm qvid multis? *hi sint terrarum joyus, nos philosophorum & medicorum plebs communis.*

§. X.

(7.) *Ad ipsa purgantia nunc accedimus & quidem à purgantibus ex mineralium familia facimus initium*, ea autem prorsus destituuntur talibus resinosis particulis, & videntur præprimis oleositate destitui, & tamen fortissimè purgant, non qvod in se contineant *Sulphur*, illud enim iis inesse ultro concedimus: nam tam ignari non sumus aut ita à veritate alieni, ut sulphura metallis vel mineralibus negemus, hoc etenim & sciunt seplasiariorum discipuli, sed eatenus non purgant: Purgant verò, qvoniam habent irregulares figuras aculeatas, propter qvas in contextum continui vergere neqveunt, hinc qvidem in auram contagiosam catharticam resolvuntur, & ita istam vim catharticam exercent satis fortiter: neqve purgant propter resinosas particulas, iis enim destituuntur, nam eas statim fermentum nostri corporis à corpusculis irregularis figuræ seqvestraret, easqve seqvestratas fermentum assimilativum uniret particulis balsamicis nostri corporis, sicqve promptissimè in continui contextum

textum vel copulam connubiumqve œconomiæ corporis cederent. E. g. *Mercurius vitæ* est fortissimum purgans, ita ut etiam cremorem sanguificationi proximum in putida liqvamina solvat, vitæ stamina abradat; *desperatum ægrum admirando affectu laborantem* unicâ ejus dosi restitui. Vid: *Centurias nostras Observationum* &c. Non tamen vero id facit, qvâ sulphur in se complectitur, qvod inesse concedimus, aut resina inest, qvam inesse negamus, sed habet in se particulas valde aculeatas contextum particularum solventes, & hinc in Mercurio vitæ vis cathartica tam fortis est, tamqve forti nisu serum è corpore ejicit, *præter serum enim nihil vel alvo vel sudore è corpore exhauritur.* Plura pharmaca è mineralibus non examinamus, sicut aliàs.

§. XI.

(8.) *Alia quædam pharmaca ex purgantium classe nunc examinamus: Purgantia* omnia, juxta *G. Hernium* in Arca Mosis p. 143. sunt venena, exceptâ tantùm Aloe: putrefaciunt sanguinem & carnes. Et juxta *eundem* Autorem ita peragitur purgatio: *Exigitur Medicamentum*, inqvit, morbo proportionatum. Hoc in stomacho dissolvitur (*ex modo [illegible]* §. *VI:* (3.) *dissolutum cum reliquo chylo pervadit venas (instar alicujus auræ contagiosæ)* cor & per totum corpus, simul circulatur cum sanguine. In illa circulatione ingreditur poros pravorum humorum sibi proportionatos, eosqve attenuat, fermentat, â sanguine bono separat & sibi conjungit. Ubi pharmacum exhausit vires suas, vel qvod aggrediatur deest, repellitur â corde (*à fermento sequestrativo, quoniam habet irregulares figuras, & sic non potest cedere in contextum continui*) & ad intestina vel os fugiens, qva data porta ruit. Hactenus Celeberrimus *Herniius*, â cujus opinione, qvod purgantia sint venena *Cræsselius* non longe abit, neqve nos calculum nostrum huic dogmati, exceptis paucis, denegamus, ut aliàs latiùs probaturi sumus.

Nunc videamus primò Rhabarbarum, illa radix qvoqve benigníoris est indolis, qvàm ut veneníis sit accensenda purgat tutò; cito & jucundè, non qvia habet particulas resinosas, sed qvoniam habet particulas irregularis figuræ ad corporis nostri particulas, particularumqúe poros: sed lenissimæ est operationis, qvare qvidam acui volunt vim ejus Diagrydio; hoc autem rectè improbat Prælaudatus *Hoffmannus, in Clave Schræderianâ* l. IV. Sect. 3. §. CCCCXLII. N 432. p. 617. *Verum non conducit*, inqvit hisce drasticis pharmacis Rhabarbarum acuere, sic enim qvalitatem adcisceit colliqvativam. Exinde patet, non propter augmentum resinæ, qvæ in Diagrydio est, juxta Wilkisianos, vim ejus acui, sed augentur potius particulæ ruderosæ irregularisqve figuræ, qvæ contextum continui fingunt. Transimus ad ipsum *scammonium*. Illud malè audit, ob nimias resinosarum particularum, qvibus abundat, copiam: est enim venenum colliqvativum, & ejus usum qvidam non admittunt, nisi in extractum redigatur, & probe prius exsiccetur, inqve pulverem redigatur, ut eo facilius postea cum succo cydoniorum diluatur, neqve denuò, prout alias solet in suam redeat resinosam substantiam, ac intra corpus sumptum verparum operetur. Sunt verba *Hoffmanni*. Nunc perpendamus, qvæso, hujus Magni Viri sententiam, svadet us verbis resinosam substantiam potius esse infringendam, si juste purgare debeat, & omnis apparatus qvi fit in scammonio corrigendo nihil aliud respicit, qvàm ut ipsam resinam ab ipso tollant. qvod si nunc vis cathartica in resina resideret, ea utiqve ab illo tali apparatu non esset seqvestranda, multò minus ea foret metuenda, cum esset adæqvatum objectum facultatis catharticæ, qvare potius resina moratur debitam Catharsin, qvam ut promoveat; resina enim in scammonio iam tenacis naturæ est, ut à corporis nostri fermento, vel igne œconomiæ corporis superari neqveat, hinc illa tenacissimè intestinorum tunicis, eorumqve poris adhæret, hinc illa in purgandis tormina, nam

illa

illa resina Scammonii vellicat ob figuram irregularem membranas intestinorum firmissimè adhærendo. Quæ illa, quæ blandè purgare debent & vim suam catharticam exserere, illa resina potiùs destituentur, & solùm habebunt particulas copulam cum contextu continuo fugientes. Hocque *Sylvius* quoque advertens suum serum scammoniatum invenit, ut in isto tritu cum aqua resinosæ particulæ seqvestrarentur, & ad fundum præcipitarentur. Hinc etiam præfert *Hoffmannus* salis sui purgantis abstersivi saponariam vim habentis usum. Erut eam in scammonio resinam tollerent, excogitarunt non multi suffumigationem scammonii per sulphur, ut hoc pacto tenacitas illa in ipso interderetur calore suffitus sulphuris. Nos præparamus scammonium succino non suffumigando, sed alio modò, & ita tradit tutum remedium, neqve amplius colliqvativum remedium est. Nunc ad censum venit *Ghutta jemou* qvi succus laxativus etiam inde malè audit, qvoniam tantum resinæ in se habet, ut hinc qvoqve sit adeo inflammabilis & candelæ admotus lucida (*juxta Hoffmannum*) ardet flamma, fumum ex fusco cœruleum spargens, & sine correctione qvoqve ægrè ipsum succum Medici usurpant, non qvidem propter resinam tam fortiter purgans est, ut hinc æstimetur instar vitri antimonii, sed propter alias particulas irregulares, copia resinæ, qvæ ipsi inest, saltem tormina causatur, purgationem non promovet. Summatim omnia fortiora purgantia multum resinæ in se qvidem continent, sed propterea non sunt cathartica, sed tormina potiùs causantia, & omnis ista correctio vel correctionis apparatus, qvi reqviritur anteqvam utamur, ad ablationem respicit resinæ. Qvod si nunc vis cathartica resideret in resina, illa etiam sine labore posset ab iis separari & in substantia dari, si esset tutum purgans, verùm isthuc potiùs respicitur omnis resinositas ab iis tollatur anteqvam ad usum evacuationis adhibeantur. Et *Elleborum album* nonnulli & hinc improbant, non qvod nimis fortiter purget, sed qvod ægrè admittat cor-

rectionem propter resinam suam, qvam non facilè deponit. De Elleboro albo copiosè scripsimus in nostra *Method: Cognosc. simpl. Vegetab.* §. 59. p. 135. Tum qvoqve Colocynthis nisi correcta & resinosis suis particulis spoliata ad usum Medicum adhibetur. Qvodsi nunc cathartica fortiora in usum non vocentur, nisi prius resinâ suâ sint privata, revera resina non est absolutæ necessitatis ad purgationem, & qvoniam tollitur ab eis, potiùs noxiæ est facultatis. Qvod si vis cathartica *in Resinâ, Resina Terebynthina* esset fortissimum purgans, paucas enim particulas catharticas, sed abundat particulis balsamicis, qvæ in balsamum nostri corporis convertuntur satis promptè, & sunt diaphoreticæ magis qvàm catharticæ. qvod probe notandum omninò est.

§. XII.

Et ita nunc satis firmis rationibus destruximus dogma illorum, qvo statuunt vim catharticam in resinosis particulis residere: qvibus autem particulis illa vis cathartica insideat, nunc dicendum foret, verum illud diximus alias & qvidem in nostra *Method: Cognosc. simpl. Vegetab:* qvæ videri potest. Interim & sparsim in hoc opusculo exstat, ubinam videlicet catharsis statuenda: potiùs eam derivamus à corpusculorum vel particularum figuris & poris, qvàm ab aliqvâ resinositate aut facultate saponaria, & videmus etiam corpusculorum figuras vel poros omnem operationem efficere, & hinc deducendum esse eorum energiam. Optimè itaqve de republ. Asclepiadea promeriti sunt, qvorum Coryphæus subtilissimus & sagacissimus Philosophus *Renatus de Cartes*, cujus vestigiis nunc nostri seculi lumina insistunt, ut puta, *Wedelius, Bartholinus, Le Grand*, maximus noster Fautor & Amicus, qvocum nobis intercedit litterarium commercium, & profectò hæc Philosophia corpuscularis est tam firma & stabilis, ut nullæ rationes eam labefactare valeant,

leant, & si dicere liceat, qvod res est, DEO grates sunt agendæ, qvod eam philosophiam nobis revelaverit, & ab jugo servitutis gentilium liberaverit, hæc præclara ingenia excitando, qvæ hoc augiæ stabulum purgarunt. Dantur nonnulli, qvi, nescio qvælibet infausta huic philosophiæ corpusculari ominantur, & ruinam eam parant, & gloriantur, sese hanc Philosophiam Cartesianam refutaturos, & illi utplurimum sunt tales, qvi hanc Philosophiam neqvidem intelligunt, imò vix â limine salutarunt: ego valde rideo horum hominum jactantiam qvovis vento inaniorem, nam qvæso, qvid volunt oppugnare? unde exordium refutationis capient? an particulas negaturi sunt vel poros? [illegible] qvod sine poris existere in rerum naturâ & erunt terrarum Joves, *summiq; Philosophiæ dictatores*, [illegible] primò habent in se qvod corrigant, & suam Philosophiam primò emendent, tum qvoqve necesse est hanc Philosophiam, qvam refutare volunt perfectè intelligant, nam non intellecta velle refutare magis dementis & stulti, qvàm sani hominis est. Nihil nunc addimus qvomodo hæc ipsa philosophia ex Sacræ Scripturæ pandectis fluat, qvod demonstrabimus in nostrâ *Philosophiâ sacrâ*; sed scio etiam, dari homines, qvi dicere non verentur: *Qui physicam* ex sacris deducere conantur, ille aut atheus, aut hæreticus est: est autem vox Filiorum Belial, & impiorum hominum, qvem blasphemum sermonem aliàs ex professo refellere conabor. Subsisto nunc & hic finis esto.

SOLI DEO GLORIA!

POST-

POSTLOQUIUM.

Sæpe unqvam illud *Ciceronis* Off. II. N. 16. Nulla tam detestabilis pestis est, qvæ non homini ab homine nascitur: locum invenit in humano genere, jam qvàm maximè invenit, adeò nunc perversi mores. Invidia pleni inter homines grassantur, ut si qvis de Republ. literaria optimè mereri, talentum suum in usum humanum impendere, vel eo superiorum voluntati satisfacere, proximi commodo subservire nitatur, statim adsunt, qvi vel illud in malam partem accipiunt, malè interpretantur, & sæpius nodum in scirpo qværunt, ut habeant qvod calumnientur, vel etiam falsa ad superiores deferunt, sicqve bonos conatus denigrare satagunt: verum

Conscia mens recti famæ mendacia ridet,

& generosus animus ea flocci facere novit, & magis magisqve ad laudabiles conatus præclaraqve facinora incenditur ringente invidia: & qvo magis premunt eum invidi, tanto alacrior resurgit, & illud DN.D. *Samuelis Pufendorfii* (lib. 1. de Offic: Hom. & Civ. c. 4.) Juris gentium & naturæ interpretum Phœnicis sibi dictum putat. *Tum pro cujusque capacitate & fortunâ aliquid addiscendum, ne quis inutile terræ pondus sit, sibi inutilis aliis molestus: sed & tempestivè eligendum honestum vitæ genus, prout impulsus ingenii, corporis atque ingenii habilitas, natalium conditio, fortuna bona, parentum autoritas, imperantium civilium jussa, occasio aut necessitas fert*. §. 2. p 48. Talentum ergo suum læto animo & hilari fronte impendit: *Multa etiam sunt*, qvæ sæpius animum meum ad aliqvid publicandum retraxerunt, & propositum in me sufflaminarunt, jam vero remotis & rejectis iis omnibus, maximus ardor me invasit meum talentum impendendi in qvolibet studiorum genere: *cuilibet enim mortalium aditum ad omne sciendi genus, dummodo id non neglectim agat*,

enim

cujus provincia ipsi à superioribus demandata est, pateri arbitror: hæc verba desumo ex nostro *Præloquio Methodo Cognosc: Vegetab:* præmisso: & nunc totus incumbam magnorum virorum Exspectationi, & spei de me conceptæ satisfaciam, sicque ulterius superiorum Clementiam, Mecænatum patrocinium, amicorum favorem promereri possim, invidis me benegerendo superioribus placendo, crucem creem, vel etiam melior mens in iis exsurgat amplius bonorum conatus non impediens. Accipis verò nunc L. B. hanc Ætiologiam de Facultate Purgatrice: dabo operam, ut successu temporis meliora subseqvantur, utinam ad tuum palatum essent, qvæ hic Philosophari placuit. Si qvid in eis reperis, in qvo aliqvid humani patior, scias me esse hominem, & nihil alienum à me putare, tum moneas modestiâ, qva in Te tui errores ab amicis notentur, permittis. Fruere interea hoc nostro labore, donec DEUS meliora largiatur tempore, & nos nobis invicem gratulemur de Pace in Terram reducta, Claudo Voto hoc tristi tempore & bellicoso seculo

Pacem te poscimus omnes!
Pax optima rerum.
Vale, vive, flore, & fave B. L.

Scripsi Kiliæ Anno 1677.
d. 4. Septembr.

F I N I S.